358

D

32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

22
~~247 B 28~~
kw 358 D32

PANEGYRICVS.

IN. OBITVM.

AVGVSTISSIMÆ. ET. POTENTISSIMÆ.

PRINCIPIS.

SOPHIÆ. AMALIÆ.

DANIÆ. NORWEGIÆ.
GOTHORVM. ET. VANDALORVM.

REGINÆ.

DVCIS. BRVNSVICENSIS.
ET. LVNEBVRGENSIS.
SLESVICENSIS. HOLSATIÆ.
STORMARIÆ. ET. DITMARSIÆ.
COMITIS. IN. OLDENBVRG.
ET. DELMENHORST.

IN.

ACROATERIO. MAJORE.
LYCEI. TRAJECTINI.

DIE. 22. MAII. ANNI. CIↃ IↃC LXXXV.

DICTVS.

A.

FRIDERICO. WEIGBERS. DANO.

TRAJECTI AD RHENUM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

SERENISSIMO. ET. POTENTISSIMO.

MONARCHÆ.

CHRISTIANO. QVINTO.

DANIÆ. NORWEGIÆ.

GOTHORVM. ET. VANDALORVM.

REGI.

DVCI. SLESVICENSI. HOLSATIÆ.

STORMARIÆ. AC. DITMARSIÆ.

COMITI. IN. OLDENBVRG.

ET. DELMENHORST. &c. &c.

DOMINO. CLEMENTISSIMO.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

SERENISSIME ET POTENTISSIME

R E X,

NUnquam auſus fuiſſem, haſce ſtudiorum meorum primitias ſacratiſſimo Tuo Nomini offerre, niſi a clementia Tua mihi promitterem, TE ſacrum, quod beatis Auguſtiſſimæ Matris Tuæ manibus apud exteros feci, benigno quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

quodam aſpectu dignaturum, magiſque piam animi voluntatem, quam iſtius exilitatem expenſurum eſſe. Dolor quidem, quem optimi quique cives ex Principum ſuorum morte capiunt, nulli profuturus adeoque nec acceptus eſt, quod Eorum obitus laureis magis quam lachrymis ſit decorandus: ſed cum memoriam Illorum, qua decet colimus veneratione, tantarumque virtutum nomina ad ſeros ſtudemus poſteros transmittere, id ut levationem quandam afferre luctui noſtro, ſic Iis, qui dolorem iſtum intimius ſentiunt, non ingratum eſſe poteſt. Hoc eſt, quod inter cetera in hac mea lucubratione præcipue ſpectavi. Id ſi apud TE, MAXIME REGUM, conſecutus fuero, ſplendor & dignitas, quæ ex Tua ei accedet ſuffragatione, ingenii exilis tenuitatem, infantiam & culpas omnes extinguet. Qua ſpe ſuffultus non dubitavi, hoc meæ in REGINAM MAGNAM pietatis, & erga TE, REX MAXIME, devotiſſimi obſequii pignus dicare. Votorum autem meorum ſumma eſt, ut

 iſta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

iſta OPTIMÆ REGINÆ morte Mauſoleum Gentis Tuæ multos in annos clauſum maneat & obſerratum; TU vero cum Auguſta Conjuge, & Sereniſſima Progenie feliciſſime ſemper floreas & vivas, uti ſub Tuo regimine Septentrio Tuus halcyonia videat tempora, & aureum illud antiquorum ſeculum reviriſcere, utique majoribus ego aliquando victimis TIBI, REX INVICTISSIME, facere poſſim.

MAJESTATI TUÆ

devotiſſimus

FRIDERICUS WEIGBERS.

IL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

ILLUSTRES AC POTENTES POPULI TRAJECTINI ORDINES. NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI HUJUS URBIS ANTIQUISSIMÆ CONSULES ET SENATORES, ACADEMIÆ CURATORES. PROVINCIALIS CURIÆ SENATORES GRAVISSIMI. MAGNIFICE RECTOR. PROFESSORES CELEBERRIMI. REVERENDI PRÆCONES VERBI DIVINI. VOSQUE RELIQUI OMNIUM ORDINUM, ÆTATIS AC DIGNITATIS AUDITORES. ET TU FLORENTISSIMA STUDIOSÆ JUVENTUTIS CONCIO.

SI illa ſors eſſet ac conditio mortalium, ut quam vim ac perpetuitatem animo natura tribuit, eadem quoque firmitate muniiſſet corpus diverſorium ejus, nunc non

lugeret Dania, non lugerent tot potentiſſimæ Domus, quas nec opinus obitus SOPHIÆ AMALIÆ, Reginæ longe omnium optimæ, tanquam inexſpectatum fulmen perculit, non mihi nunc triſti hoc pietatis munere eſſet defungendum. Nolite mirari, Auditores omnium ordinum præſtantiſſimi, me adoleſcentem exterum, in ætate tantilla, mihi ipſum hanc perſonam impoſuiſſe, & imperaſſe, ut in veſtrum ſuſtinerem prodire conſpectum, & ex hoc ampliſſimo loco, ad quem aditum mihi clauſerat meus pudor, & conſcientia tenuitatis ingenii ac infantiæ meæ, verba facere. Solvit incredibilis doloris impatientia fræenum verecundiæ & linguæ, non ſecus ac opulentiſſimi Lydorum Regis elinguis filius, cum captis Sardibus in patrem ſtricto miles gladio, Regem eſſe ignorans, invaderet, rupit vitium nodumque linguæ, velut oblitus, quid ſibi naſcenti fortuna denegaſſet. Habet hoc ingens & pius dolor, quod vehe-

hementiores longe motus in animo concitat, quam ut occultari poſſint, nec premi ſinit ardorem, qui intimas medullas perurit, ſed in ejulatus erumpit, ac triſtibus lachrymis indulget. Vitæ quidem meæ ratio ſic tulit, ut in hoc celeberrimo Belgii lyceo, ad quod tanquam bonæ mentis palæſtram, & omnis virtutis ac doctrinæ officinam magnus ex omni Europa concurſus eſt nobilium juvenum ad capeſſendum ingenii cultum, optimis artibus operam navans, longe remotus a patriæ conſpectu, acerbiſſimum ejus fatum & irreparabilem jacturam, quam in maximæ Reginæ morte fecit, auribus non oculis hauſerim. Sed acerbitates magnæ & amiſſio rerum chariſſimarum cum audiuntur, non cernuntur, ſerius quidem, ſed non levius ſenſum movent doloris. Quin tanto penetrat altius & infeſtius vulnerat animum, quanto fama non ſolet elevare, ſed in majus omnia quæ narrat extollere. Me ſane nuntius hic ſubitus & nec opinus

 tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

tantæ Reginæ mortis ita perculit & exanimavit, ut ne nunc quidem animum recolligere potuerim. Videor enim mihi videre acerbiſſimum patriæ meæ mœrorem, ut Rex, Proceres, Populus, omnis ſexus, omnis ætas in luctu ſint & ſqualore; ut aula, templa, palatia, domus, caſæ omnes ſuſpiriis, gemitibus, lamentationibus perſonent, nihilque niſi triſte & illætabile, jucundarum rerum omni ſenſu amiſſo, oculis & auribus occurrat. O ſævum & atrox vulnus! O crudelia & dura fata! Quales vobis ex humanis malis & querelis ludos facitis! Quam ſine ullo furitis delectu? Quam nulli formæ parcitis, nullis opibus, nulli ætati! Nulla vos delinire poteſt generis nobilitas, nullum potentiæ faſtigium, nulla virtus ad omnem legem exacta, mensque omnis labis pura. Omnibus triſtes injicitis manus & ipſa pulvinaria non minus quam humilia tuguria funeſtatis. Sed fruſtra fata incuſo. Sunt inexorabilia & nulli ſuæ legis neceſſita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

tiſque gratiam faciunt, nec blanditiis nec planctibus moventur. Stat cuilibet dies illa decretoria, quæ ſerius ocyus eſt obeunda. Quid ergo nil profecturis lachrymis & querelis parentamus beatis Summæ Reginæ manibus? Ipſi defuncti, ſi quis iis ſenſus de rebus noſtris eſt, nolunt, cum ſoluti vinculis corporis in beatum illum ſinum ſunt recepti, ut inani, nec ſibi nec nobis profuturo fletu luctuque nos conficiamus. Nullum vero illis humanitatis munus gratius, nec ægritudinis noſtræ levamentum præſentius eſt, quam grata memoria, & commemoratio virtutum ac beneficiorum, quæ in nos contulerunt. Non prodeſt iis quidem hoc quicquid eſt officii, nec noſtro præconio illuſtrantur augenturque, ſicut nec Deus laudibus hominum honeſtatur: ſed nos nullam aliam deſiderii noſtri gratique animi ſignificationem edere, nec ſatisfaciendi noſtræ pietati, eamque poſteris teſtificandi viam aliam ullam poſſumus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

invenire. Hæc monumenta ſunt omni ære, omni marmore perenniora, quæ nec hominum injuria, nec tempus edax rerum poteſt abolere. Atque utinam mihi tanta eſſet dicendi vis ac ingenii copia, ut eximias tantæ Reginæ dotes & virtutes pro merito prædicare poſſem! Cui muneri licet ob imbecillitatis meæ conſcientiam me totum imparem, & tam cum argumenti ſublimitate, quam cum exſpectatione veſtra mihi conflictandum videam; tamen ipſa ſolatio mihi eſt difficultas. Cum enim nullus mortalium etſi omnibus affluat ingenii, doctrinæ & eloquentiæ copiis reperiri poſſit, qui illas maximæ Reginæ laudes dicendo poſſit aſſequi, eo certiorem veniæ ſpem mihi promitto, cum quod poſſum gratæ voluntatis ac pietatis munus Ipſi perſolvo. Nec Superi aſpernantur farris manipulum, ſi thure aut victima majore facere non poſſumus, modo adſit egregia voluntas.

Sed

Sed quod in tanta rerum ubertate dicendi initium inveniam ? quem finem ? cum omnibus AUGUSTA bonis, quæ aut a fortunæ indulgentia optari, aut ab excellentia naturæ deſiderari poſſunt, omnibus virtutibus, quæ hunc ſexum non tantum ornant, ſed excedunt longiſſime, fuerit cumulatiſſime inſtructa. Illuſtriſſimæ Gentis decus non ſolum omnium laudes, ſed faſtigium fere humanum ſupergreditur. Sunt quidem, qui dignitatem natalium elevant, & nobilitatem generis nullo prope loco & numero cenſent eſſe habendam, quod velut extra eum ſit, qui laudetur, quodque omnes pari naſcamur ſorte, ſola virtute diſtinguamur. Sed hi profecto omnium gentium damnantur conſenſu, quibus nobilis proſapia ſemper in magno fuit pretio & honore. Virtutem omnes omnium memoriarum & terrarum gentes colunt ac maximi faciunt, ipſius pulchritudine, quæ omnium oculos perſtringit, capti.

Nobiles autem qui ſunt, niſi quorum majores longo ordine virtute præſtantes & honerati fuêre? Merito igitur ſacra nobis virtutum eorum in poſteris eſt memoria: & ex melioribus nati meliores etiam & præſtantiores eſſe, nec imbelles aquilæ columbas edere creduntur. Hac laude non eſt, ut ulli Principum, quos ſplendidiſſimæ nativitatis ſors ſupra ſui quoque ordinis homines extulit, cedat AUGUSTA noſtra. Genus enim & ſanguinem Paternum ex vetuſtiſſima Ducum Brunsvicenſium gente ducit: Maternum ex illuſtriſſima nec minus antiqua domo Haſſiaca. Quis hic ubique magnitudinis & antiquitatis ſplendor? Quæ potentia & opes? Quæ virtutum nomina? Sereniſſima Ducum Brunſvicenſium familia ab antiquiſſimis Bavariæ & Saxoniæ Ducibus, qui Guelphorum olim nomen longe lateque per Italiam, magno omnium terrore, circumtulerunt, & terrarum ac gentium magnarum ab Albi ad Rhenum, a ju-

gis Herciniis ad mare Balthicum uſque domini fuerunt, oriunda tot maximorum Heroum ſtemmatibus radices ſuas implicuit, tot tantoſque Principes produxit, ut, ſi Imperatores, Reges, Electores; non minus ac Reginas, Electoribus toro geniali ſociatas, alioſque magni nominis Principes, qui ex hac florentiſſima domo prodiêre, Regumque ac Principum maximorum in Europa neceſſitudinem ac cognationem enumerare vellem, dies & latera me deficerent. Unus mihi inſtar omnium ſit GEORGIUS, AUGUSTÆ Pater. Quis illo Principum ſui ævi clarior? Quis maximis rebus geſtis inſignior? Dubitant annales, an magis illum ob invictam armorum virtutem & ſummam militaris rei peritiam, an ob infinitum in eos, quibus præerat amorem, an ob infucatam in Deum pietatem celebrent. Hujus virtuti non parum debet Germania & ejus Proceres, quod poſt cruentiſſimum triginta annorum bellum, quo

non exteri tantum, ſed ipſimet cives in ejus viſcera ſæviebant, libertatem & verum Numinis cultum vindicatum tandem & ſibi conſervatum hactenus videat. Hujus virtuti tota Sereniſſima Domus obſtricta eſt, quod propagatis finibus latius nunc longe quam ante imperet. Hujus paterno in patriam amori ſubjecti debent, quod in illo nunquam abſque horrore nominando bello, in quo nihil frequentius urbium excidiis, agrorumque vaſtitate, & in quo ubique egeſtatem induxiſſe & ſolitudinem, fere prima militiæ laus erat, ſub tanto clypeo, licet non alta fruerentur pace, publici tamen fati atrocitatem non ut ceteri experirentur, & tempeſtates circumcirca ſævientes, ſi non plane evitarent, mox tranſiiſſe lætari poſſent. In tanto Principe, cujus incredibiles virtutes præſtat tanquam ſacro quodam, inſtar Deos in auguſtiſſimo luco venerantium, præterire ſilentio, quam paucis eas tangere, ac delibando quaſi deterere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

re, omnis habebit poſteritas quod admiretur. Non minor jam dicendi campus mihi aperiretur, ſi Maternam AUGUSTÆ ſtirpem, quæ ſi vetuſtate, ſplendore & potentia non palmam præripit Paternæ, dubiam certe facit, prædicare me aut inſtitutum, aut tempus, aut ingenium exile pateretur. Sed nec quiſquam eſt, qui Cattorum cum antiquam gloriam omnium ore decantatam, & æternis annalium monumentis conſecratam, tum nuperi belli laureis ac palmis virentem adhuc virtutem ignoret: nec ego generis, ſed magnæ Reginæ laudes celebrandas ſuſcepi, quas non ab aliis mutuata eſt, ſed ſibi ipſa peperit. Non tamen poſſum ſine piaculo ſilere, ex hac Principum, quibus Catti parent, antiquiſſima familia, quæ ab ipſo Magno Carolo ſanguinem ducit, prodiiſſe ANNAM ELEONORAM, AUGUSTÆ Matrem, eminentiſſimæ virtutis Principem, & in tantum laudandam, in quantum laudari virtus ipſa poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

Quantus enim in Illa virtutum omnium cumulus fuit? Pietas ejus in Deum, ſanctitas morum, modeſtia ſingularis, animi magnitudo, prudentia ſupra ſexus ſui captum omnibus ſemper fuerunt admirationi. De Xantis Aſiæ antiquiſſimo populo litterarum monumenta tradunt, eos liberis non gentilitia patrum nomina, ſed matrum impoſuiſſe, opinatos harum naturam in iis majorem, quam illorum vim exercere. Non ego hujus gentis ſententiæ ſubſcribo, ſed hoc mihi aliiſque liquet, nomen ANNÆ ELEONORÆ Haſſiacæ non minorem ſplendorem circumfudiſſe Reginæ, quam paternum GEORGII Brunſvicenſis. Ex hac proſapia, ex hiſce parentibus orta eſt AUGUSTA, anno ſeculi noſtri octavo & vigeſimo. Non mirum autem ex iſto ſemine tam generoſam eſſe ſtirpem enatam, quæ poſtea tantos edidit fructus, non ſuo ſolum Septentrioni, ſed omni Europæ ſalutares: cum tanto Parentum optimorum ſtu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

dio fuerit culta, ut etſi non ea fuiſſet indole, iiſque dotibus prædita, quibus benigna Illam natura inſtruxerat, non potuiſſet tamen non tanta cura formata & educta in tantam Principem adoleſcere. Non enim latebat illuſtriſſimis Parentibus, quantum eſſet a teneris aſſueſcere, & ab ipſis incunabulis aſſiduo cultu & egregia diſciplina ad bonam frugem perduci. Prima quidem laus debetur naturæ; nam fruſtra paluſtri aut ſabuloſo loco imperatur: ſed niſi accedat educationis cultura, perinde ut ferax ſolum ſylveſcit, & quidem tanto citius & horridius, quo eſt feracius. Natura felicitatis humanæ quaſi fundus eſt; educatio conſummat eam & abſolvit. Magnum quidem eſt, ſplendidiſſimo genere, & ad omnia ſumma natum eſſe: verum quo major hæc natalium ſors eſt, eo intentior requiritur cura, ne a ſtirpis nobilitate degeneret ſurculus, ex qua decerptus eſt. Obſcurorum hominum maculas domeſticæ tenebræ tegunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

& occultant: magna fortuna nihil occultum eſſe ſinit, & quo in altiore Principes faſtigio ſunt collocati, tanto & virtutes & vitia ipſorum fulgent latius, ac omnibus magis innoteſcunt. Sed ut in bene conſito agro & floribus arbores delectant, & ſpe proventus, quem nobis a ſtirpe ſpondent; ſic ex illuſtri familia, quæ multorum floruit magnorum hominum proventu, omnes ſibi majoribus ſimiles poſteros promittunt. Hanc exſpectationem etiam de Principe noſtra, SOPHIA AMALIA, & natalium majeſtas, & Majorum virtus fecerant, quam ne deſtitueret, ſed longiſſime ſuperaret, piiſſimorum Parentum, & inprimis ſanctiſſimæ Matris indefeſſa providerat vigilantia. Hanc enim curarum omnium habebat antiquiſſimam, in hanc omnem cogitationem, omnemque mentem fixerat, ut nihil prætermitteretur, quod ad tantæ ſpei Filiam formandam in talem Principem, qualem poſtea non Dania ſola, ſed univerſus orbis fere

re

re miratus eſt, quicquam conferre poſſet. Sereniſſima Mater ſemper Illam in ſinu vovebat ſuo: Majorum virtutes Ei quotidie ingerebat, ſuo tamen præcipue exemplo, & imitatione ſui Illam erudiebat. Nec ipſa modo nunquam ab Ea oculos amovebat; ſed & matronas ac viros pietate graves in curæ hujus adſciſcebat conſortium, qui vix ulla de re alia cogitarent, quam ut tenella AMALIA ad omne decus informaretur. Hinc non ut in aula luxu, deliciis, & omnis generis voluptatibus diffluente, ſed ut in vero pietatis & virtutis ſacrario educabatur, & imbuebatur omnibus artibus, omnibus virtutibus, quæ ampliſſimam illam fortunam, in quam nata erat, Ejuſque ſexum non tam decebant, quam illuſtrabant. Non autem multum operis & laboris impendendum erat, ut votis & exſpectationi Parentum reſponderet. Ingenii præſtantia & celeritate præveniebat Matris monita, & magiſtrorum præcepta. Erat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

enim AUGUSTA veluti pingue quoddam & feliciſſimum ſolum, quod ſparſum virtutis ſemen accipiebat avide, mox uberrimos & lætiſſimos fructus pariturum. Animi, qui ita expoliebatur & ornabatur, decus commendabat maxime, & quaſi omnium oculis offerebat pulcherrimum ejus hoſpitium, Auguſtiſſima corporis forma, & ſumma venuſtas oris, tantæ fortunæ & virtuti mirifice congruens, iiſque ſuffragium additura, ad benevolentiam omnium & amorem ſibi conciliandum. Licet enim animus ingens & cœlo cognatus non egeat corporis commendatione, nec nobilis adamas pretium mutuetur ab auro, cui intextus eſt; gratior tamen eſt virtus e pulchro corpore veniens, & hæc corporis felicitas, ac divinæ plaſticæ acceſſio non minus pulcherrimum præbet argumentum animi nobilis, quam purpureus ille mali punici cortex, qui ſub illo latet, pretioſi ſucci. Tantis igitur eximiæ formæ & in-

vi-

viſitatarum virtutum dotibus inſtructa AUGUSTA, cum jam plenis nubilis annis omnium oculos in Se convertiſſet, nominiſque fama orbem Europæum pervagata, maximos Reges & Principes admiratione defixiſſet, ſingulari tandem fatorum proviſu Sui amore inflammavit Sereniſſimum Principem FRIDERICUM TERTIUM, tunc temporis Bremenſem Archiepiſcopum, poſt potentiſſimum Daniæ & Norwegiæ Regem, ut cum Illa tori, Regni & omnis fortunæ iniret ſocietatem. Quid auſpicatius AUGUSTÆ, quid eminentiſſimis hiſce dotibus Ejus dignius offerre potuiſſet fortuna Auguſtiſſimo hoc matrimonio? Tunc demum virtus Ejus jam ſatis robuſta excelſum illud culmen adepta eſt, ex quo velut aureum ſolis jubar, cum ſolſtitii metam attigit, ſplendidiſſimos longe radios ſparſit, ſeque mortalibus per omnes numeros tanta probavit efficacia, ut ipſa annalium fides, qui hæc immortalibus man-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

dabunt literis, apud ſeros poſteros ſit laboratura. Ut enim de Illius pietate, virtutum omnium principe, ſine qua ceteræ ſplendida ſunt nomina, quæ famam AUGUSTÆ ſuper æthera jam diu extulit, initium ducam: Huic a natura Sibi innatæ, & velut lacte materno hauſtæ, ſummaque ſemper cura excultæ gubernacula vitæ ſuæ dirigenda tradidit, & ſicut nautica acus, quemcunque etiam navis curſum teneat, nunquam non cynoſuram reſpicit; ſic Illa in omnibus, quæ dicebat agebatque, intuebatur animo ſummum rerum omnium Moderatorem. In hoc omnes ſuas cogitationes, omnia ſtudia figebat, eumque puram agnoſcens mentem, ſumma mentis puritate colebat & caſtitate. Nulla hic erat ſuperſtitio, procul omnis oſtentatio. Aberant a Principe maxima rerum ſacrarum cognitione inſtructa, & Cui unicum erat ſtudium, pie & ſancte vivere potius, quam ſancte vixiſſe videri. Quanta enim reverentia frequentabat

tem-

templa? Quanta devotione publicis ceremoniis dabat operam? Quas ſanctiſſimo Numini preces, & intra animum concepta vota pro Sereniſſimo Marito & tota Sereniſſima Domo fundebat? Quibus ſuſpiriis ſalutem Eccleſiæ, Regnorum incolumitatem, neceſſitates omnium denique & ſingulorum Deo commendabat? Totos dies inter preces, meditationes, aliaque pietatis exercitia conſumebat, in id omnibus viribus nerviſque elaborans, ut inter tot tantaſque ſollicitudines & curas, in tanta rerum volubili parentium fortunæ viciſſitudine placidum ſervaret & eundem ſemper vitæ tenorem, ſicque cunctos SOPHIA AMALIA exemplo non minus, quam legibus FRIDERICUS Rex emendaret, non minus innocentia & incorrupta morum diſciplina, quam Ille autoritate & imperio emineret. Peſtilentiſſima opinio & olim, & cum maxime pleraſque in excelſo poſitas fœminas inceſſit, qua ſibi perſuadent, ſe Regnan-

tibus junctas, regiiſque ornatas inſignibus nullum obſequium maritis debere & obſervantiam, a quibus hæc acceperint decora; ſed dominandi libidine correptæ pro ſuo jure ſibi ſumunt, & partes virorum vendicant, ac Reipublicæ clavos pari cum illis imperio tractare geſtiunt, injuriam ſibi fieri teſtatæ, niſi in æqualis poteſtatis conſortium admittantur. Quantum ab his diſſentiebat AUGUSTA? Conſcenderat regale ſolium, ut res longo a ſe invicem intervallo ſeparatas jungeret, imperium & obſequium. Omnibus imperabat; ſed Uni obſequium præſtabat. Regna ſibi videbat ſubjecta; ſed Ipſa ſe ſub Rege eſſe non ignorabat. Nunquam Ejus induere munia, non Senatui ſe immiſcere, non de rebus agendis decernere aut actas evertere; ſed ad nutum & voluntatem Illuſtriſſimi Mariti ſe conformare, Ipſi unice ſtudere, ac ſummum ſemper & debitum habere honorem, hæc non ultima AUGUSTÆ noſtræ fuit ſollici-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

licitudo : Quamvis enim ſumma polleret & perſpicaciſſima mentis ſagacitate, ut non in illis modo, quæ a tanta ſolent Principe adminiſtrari ; ſed etiam in communibus & ad publicum pertinentibus rebus ſapienter in medium conſulere, & quidvis exequi & præſtare nullo potuiſſet negotio : tamen vaſtam illam, & multarum rerum magnarum uſu conſummatam Maximi Regis prudentiam huic oneri ferundo eſſe videns, Suæ judicabat modeſtiæ, intra ſexus ſui fines Se continere, & illud tanto Viro conferre, unde majus emolumentum ſperare poſſet, vota & preces. Rara hæc & fere divina AUGUSTÆ virtus, qua ſtellarum inſtar, quo major erat & altius poſita, eo minorem fundere claritatem videbatur, omnium alliciebat voluntates, omnium animos tanta defigebat admiratione, ut Illam tanquam HEROINAM & ſexum & ſeculum ſuum ſupergreſſam intuerentur & adorarent. Si ſacrorum noſtro-

rum majeſtas non obſtitiſſet, templa, aræ, flamines Ei fuiſſent decreta. Homines tenues juxta & mediocres tanquam de cœlo delapſam ſuſpiciebant: Illuſtriores velut aurei ſeculi reliquias colebant, omniumque votorum antiquiſſimum habebant, filias ſuas apparere tantæ Reginæ. Nihil illis felicius & beatius ducebant, quibus datum erat, in Ejus comitatu & contubernio, tanquam in omnis pietatis, pudoris & verecundiæ officina adoleſcere, ex qua non niſi ſanctiſſimis imbutæ moribus, omnibuſque virtutum ornamentis inſtructæ prodire poſſent. Plerique mortales perſuaſum habent, modeſtiam frangere celſitudinem animi, in rebus dubiis trepidare & pavere, in rebus adverſis, cum eæ quaſi agmine facto ingruunt, deſperare. Sed qui ſic exiſtimant, neque modeſtiæ, neque magnitudinis animi vim intelligunt, quæ tam firmo nexu ſunt copulatæ, ut vix cogitatione ſeparari queant. Modeſtia ſpiritus altius ſe efferentes de-

pri-

primit, ſed & fortunæ tam arridentis blanditias, quam infeſtæ minas contemnit, nec patitur ejus impetui ſuccumbere, quæ animi eſt excelſitas. Eſt ea corporum quorundam temperies & conſtitutio, ut nec frigus tolerare poſſint, nec calorem, & vel leviſſimo alterius afflatu debilitentur: iis haud diſſimiles ſunt non inferioris tantum ſortis, ſed altiſſimi gradus homines, quos & benigna & irata fortuna proſternit, & quorum lacertos non minus proſperæ res laſſant, quam afflictæ. SOPHIAM AMALIAM nec inflabat felicitas, nec inflectebat injuria temporum. Animus Ejus cœlo proximus & ſemper ſerenus nullis rerum mutationibus turbabatur. Non minus imperabat fortunæ cum Ei adverſaretur, quam cum in deliciis Ei eſſet; cum ſecundis ejus veheretur ventis, quam cum reflaret, & tanquam turbine quodam miſceret omnia. Nulla ejus tam ſæva fuit tempeſtas, quæ magnum AUGUSTÆ animum per-

cellere, tantamque virtutem de ſtatu ſuo demovere poterat. Domeſticas ægritudines non minus prudenter celabat, quam conſtanter ferebat, quod neminem moleſtias fortius ſuſtinere ſciret, quam qui illas occultet. Calamitates & ærumnas civium, atroces Daniæ nunc minantes exitium, nunc ei incumbentes procellas, adeo ut ejus ſalus plane deplorata videretur eſſe, graviter quidem dolebat, nunquam tamen dimittebat annimum, nunquam muliebriter ejulabat, ſed Maximum Regem, licet & Ipſum malis omnibus invictum, Sua tamen conſtantia mirificè levabat. Quam tempore inprimis illo probavit omnibus, cum fortuna totis tandem inſurgens viribus, in Sereniſſimi Regis FRIDERICI morte, cui immortalitatem optimi quique cives optabant, & quo virtutibus Ejus diutius fruerentur, partem annorum vitæ ſuæ Illius extendendæ impendiſſent, acerbum Reginæ & omni Daniæ inflixiſſet vulnus.

Mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

Movebat quidem luctuoſiſſimus hic caſus AUGUSTAM, ſed non perturbabat. Dolebat tanti Principis obitum, qui Illam ut alteram animæ ſuæ partem ſemper complexus erat. Lugebat ſanctiſſimi conjugii ſolutionem, quo ſex & viginti annorum ſpatio ſine ulla querela, ſine minimo friguſculo juncti, nunquam ſecum in gratiam redierant. Sed tanto dolori moderabatur ratione & conſtantia, a quibus impetrabat cum maximè, quod aliis temporis longinquitas præſtat, & funeſtum hoc diſcidium incredibili ferebat firmitate: quippe quæ muliebri fletu in vitam revocari non poſſe Regem norat, nec fatorum decreta reſcindi, aut leges illas æternas refigi; ſed quicquid a Deo nobis ingeratur, etſi durum videatur & acerbum, moderate tamen ferendum. Sunt illuſtres quædam gentes, quarum aliæ nævis quibuſdam aut corporis notis ingenuis, aliæ virtutibus & vitiis innatis ſunt inſignes. Produnt antiquæ Romanorum memo-

riæ, Domitiorum familiam crudelitate, Claudiorum ſuperbia, Scipionum virtute bellica & magnitudine animi, Cæſarum liberalitate fuiſſe nobiles. Illuſtriſſima Cheruſcorum Principum Domus multis quidem magnis virtutibus ſemper excelluit, maxime tamen humanitatis & clementiæ laude floruit. Hæc avita majorum virtus in AUGUSTA ſplenduit tam mirifice, ut omnem natura penum in Ea profudiſſe videretur. Nam ſicut plantæ in ſummis montium jugis creſcentes humi ſerpunt, nec in altum ſe tollunt facile; ſic quo ſublimius AUGUSTAM natalium gloria ſupra ceteros evexerat, eo magis Seſe demittere, ac comitate ſua cum inferioribus æquare ſtudebat; nihil ad augendum faſtigium ſuum ſupereſſe judicans, quam hoc modo creſcere. Neminem unquam aſpectu ſuo arcebat aut colloquio, quod Principum palatia non minus ac cœlum exiſtimabat patere afflictis debere. Mira erga omnes erat benignitate,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

ſingulorumque neceſſitates comiter accipiebat. Nullum precibus relinquebat locum, ſed aut ſupplicum vota ſi ea noſſet, præveniebat, aut deſideriis eorum ſubſcribebat clementer, aut ſi quid abnuere cogeretur, eo lenitatis utebatur condimento in verbis, ut neminem triſtem a Se dimitteret. Semper præ Se ferebat, illum diem Sibi periiſſe, quo in neminem ſingulare aliquod benevolentiæ aut beneficii genus contuliſſet. Civium fortunis non minus ac Suis movebatur & dolebat, illiſque mederi ſumma nitebatur cura. Nunc ſolatiis eos erigebat, & in patientiam ærumnarum, quas nulla vis humana poterat deprecari, firmabat animos; modo quid facto uſus erat ſalubriter præcipiebat; aliis opera ipſa ſubveniebat. Eadem benignitate inimicos etiam fuiſſet proſecuta, ſi quis potuiſſet tam duro, tam immani eſſe animo, ut tam benignam, tam clementem Principem odio perſequi, aut Illa quemquam odiſſe ac infeſta men-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

te inſectari potuiſſet. O admirabilem SOPHIÆ noſtræ humanitatem & clementiam! Sed tanto eſt admirabilior, quod ſimul omnes gravitatis numeros in tanta comitate impleret. Nihil Illa omni tempore erga genus omne hominum communius, nihil civilius; ſed ut illibatum Majeſtatis honorem, qui Imperantium anima eſt, ubique tueretur. Amicis quidem permittebat AUGUSTA, ut de dignitatis Suæ fulgore lumen ſibi accenderent; ſed ut illum non obfuſcarent, ſed veluti ſolem ſtellæ minores revererentur. Iſta gravitas tanta condita comitate ita & percellebat omnes, & capiebat, ut dubium relinqueret, amor magis in animis civium, an reverentia ſibi primas vindicaret. Incredibili SOPHIÆ AMALIÆ humanitati reſpondebat inaudita & prope divina quædam liberalitas. Nulla re propius ad Numinis accedunt naturam Reges, quam munifica iſta in homines voluntate. Dei vices in terris ſuſtinent, ſed

vi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

vivam ejus imaginem magis referre non poſſunt, quam ſi nemini munificentiam ſuam claudant. Ut omnes in hac vita Dei munere communi fruuntur cœli ſpiritu & luce ſolis; ſic omnes, qui merentur, divinam Regum liberalitatem ſentiant & experiantur. Quanta virtutis hujus per omnem vitæ decurſum documenta edidit AUGUSTA? Quot ejus veſtigia videmus ubique impreſſa? Non enim anguſtioribus eam terminis circumſcripſit, quam Deus potentiam & majeſtatem Ejus definierat: nec pauciores animos ſibi obſtrinxit, quam ſubjectos habebat. Tantam Maximæ Reginæ munificentiam oratione complecti meæ non eſt opis. Loquantur eam inopes, ægroti, viduæ, pupilli, ſcholæ, eccleſiæ. Hi uno ore quaſi prædicabunt, quam anxie pauperum & ægrotantium ſublevarit inopiam; quam ſollicite iis omnia eroganda mandaverit, quæ aut vitæ neceſſitas, aut eorum exigeret valetudo; quot mulieribus meliore

ſui parte orbatis opem tulerit; quot pupillis omnibus ad vitam tolerandam defectis cultum victumque præberi curaverit; quot virgines honeſto loco ſed tenuiore fortuna natas dote de ſuo data collocaverit, & periculo dedecoris ac pudoris decoquendi liberarit; quot in magnis rei familiaris anguſtiis, qui egeſtatis ſuæ pudore verebantur ullius opem ſollicitare, ſuis ſuſtinuerit facultatibus. Nunquam largitatis laudes conticeſcent, quam in bonarum artium ſeminaria & ſacras ædes impendit effuſe, & ſemper prædicabuntur vectigalia, quibus eas inſtruxit magnifice. Nullo non tempore celebrabit Dania, Norwegia, Holſatia, quantam pecuniarum vim in Xenodochia & Orphanotrophea contulerit & illorum tutelam: quæ commoda & ſtipendia cum ſacrorum antitiſtibus, tum aliarum bonarum artium Doctoribus decrerit, ut eſſet copioſe quo uterentur. O benignam & liberalem Principem! O veram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

ram & communem Patriæ Matrem! Quæ in eo vehementer laborabat, ut omnium deſideriis patientiſſimas aures præberet, quam plurimos afflictos beneficiis recrearet, omnibus ſubveniret, neminem a Se niſi lætum dimitteret mira liberalitate, & ſumma animi æquitate. Quid miremur, tantam Reginam, cui nulla felicitas major viſa eſt, quam feciſſe felices, a ſummo Numine ſummum felicitatis cumulum conſecutam eſſe, non ſolum matrimonio, quo in excelſiſſimum rerum humanarum faſtigium collocabatur; ſed & beatiſſimo tot Liberorum proventu, quos tot maximarum & illuſtrium virtutum præmium tulit, & quibus velut altera Cybele non Septentrionem tantum, ſed maximas Europæ provincias, tanquam totidem Diis implevit. Ab Illa enim in AUGUSTO FILIO regitur & ſtabilitur Imperium Daniæ & Norwegiæ: ab Illa per FILIAM Regnatores exſpectat Suecia: ab Illa per FILIAS firmatur

thronus Electoralis Saxoniæ & Palatinatus; ſecuritatem ſibi promittere poteſt Holſatia: ab Illa per alterum FILIUM Sereniſſimum GEORGIUM Magna Britannia ſibi decus ſpondet & præſidium. Sed in hoc ad ſummam felicitatis humanæ pervenit, & qua majorem ab ipſo Deo immortali ne optare quidem potuerit, quod Mater ſit Maximi & Sapientiſſimi Daniæ MONARCHÆ, cujus invicta & pluſquam Heroica virtus Majorum Suorum, qui late victricia arma per Germanias, Britanniam, Gallias, Italiam circumtulerunt, imo ultra Solis Lunæque vias, in inacceſſo oceano, qui glacie & perpetuis fere tenebris horret, tropæa ſua fixerunt, (quis enim Teutonorum, Cimbrorum, Normannorum triumphos & latiſſime patens Imperium ignorat?) gloriam non æquavit ſolum, ſed ſuperavit. Qui quorumlibet hoſtium ferociam tot victoriis ſic repreſſit & contudit, ut pace ſecuritateque terra marique parta

Ma-

Majeſtas Regni virtute, auctoritate, armis in tuto collocaretur. Qui priſtinam Danicæ gentis gloriam fatali quadam temporum injuria non nihil obfuſcatam in priſtinum ſplendorem aſſeruit. Qui non modo plurimas opere & ingenio munitiſſimas urbes occupavit, arces firmiſſimas expugnavit, ſed & qui inſtructiſſimas hoſtium claſſes, ſub quarum mole oceanus ingemiſceret, disjecit & diſſipavit, ſicque magno terrore non ſolum Suæ ditionis provincias, ſed Germaniam & ſeculum liberavit. Ut tamen non arma Se cepiſſe finibus proferendis, aut vicinis vexandis, ſed cum Suorum civium, tum Sociorum & omnium Chriſtiani nominis populorum otio & ſecuritati firmandæ, teſtatum omnibus faceret, in tanta victoriarum rapiditate, in tanto totius Europæ, de tot laureis & triumphis Ei gratulantis, applauſu, cum hoſtes Danici Imperii tot cum pedeſtribus tum maritimis præliis eſſent fuſi & conciſi, ut occidione occidiſſe,

nec vires, nec animos unquam poſſe recolligere viderentur, multo minus ullam habere facultatem recuperandi quæ perdiderant, dedit tamen Europæ paci, dedit Sociorum precibus, ut armis quæſita hoſtibus redderet, contentus injuriæ licentiam eis abſtuliſſe. Vicerat ante hoſtes, nunc Se Ipſe vincebat, victis pacem dando, cum nec conſilium, nec opes deeſſent, ſubactas gentes in obſequio & fide retinendi. Poteraſne, REX MAXIME, ullo illuſtriore argumento incredibilem animi moderationem & æquitatem declarare, quam cum teſtificareris, TE non Imperia, gentes, provincias, non honores, quæ multi nequiſſimi homines peſſimis artibus ſunt conſecuti, ſed, cum iis digniſſimus eſſes, pacem & concordiam conſectari, & Tuam Sociorumque publicam rem voluiſſe conſtituere? O Regem omnium ſeculorum admiratione digniſſimum! Hoc victoriæ genere nullum eſt difficilius, nullum nobilius; quod Heroum tan-

tantum eſt, quos ſupra ſortem humanam & vulgus Regum divinior indoles extulit. Herculi cœlum aperuerunt, non bella, quæ geſſit, acerrima, ſed monſtra pacata, nimirum tyranni & Reges extincti, aliis nulla alia de cauſa graves, quam quod eos aliena felicitas ureret, & quod omnia rapiendi ſacra libidine flagrarent. Hos cum aut ex medio ſuſtuliſſet, aut improbas cupiditates caſtigaſſet, & nocendi poteſtatem eripuiſſet, contentus gloria Imperio abſtinebat: ſed ab omnibus tanquam vindex libertatis, ſceleratorum ultor, bonorum defenſor, patronus juſtitiæ & æquitatis colebatur & adorabatur; cum late regnandi cupidos, & qui fines ſuos aliorum injuria ſtudent amplificare, tanquam magnos latrones, & peſtes humani generis execrarentur. Non aliud TE, MAXIME REX, manet præmium, quam quod Herculi, & ſi qui alii hominum ſervatores celebrantur, conſenſu quaſi omnium nationum fuit tributum. Fo-

ris rebus compoſitis, domi Regno moribus & legibus formato & emendato, nec non militari diſciplina conſtituta, Terror hoſtium, Deliciæ Tuorum civium, Amor orbis terrarum haberis & prædicaris una quaſi totius Europæ voce. Quæ ceteras quidem Tuas virtutes, MAXIMA ET BEATISSIMA REGINA, nunquam patietur obliterari, ſed hoc beneficium ſemper memori menti infixum in cœlum extollet, quod tantum REGEM edidiſti in dias luminis auras, qui feſſas & turbatas Europæ res non tam armis, quamvis armorum virtutem invictam plurimis tropæis probaſſet omnibus illo ipſo tempore; ſed lenitate, & ſumma ac incredibili animi moderatione reſtituit ac recreavit. Itaque Dania quoque jacturam, quam Tua morte fecit irreparabilem, moderatius tamen fert, & non inſolabiliter luget, quod Hunc REGEM ei dederis ac reliqueris, Quo ſalvo ſe omnes ſalvos, Quo incolumi omnes florentes, beatos

ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

ac feliciſſimos ſe futuros perſuaſiſſimum habent. Hinc Deum omnes ſupplices veneramur, ut Hunc Optimum Maximum Regem, Hunc Propugnatorem Religionis, Cuſtodem Pacis, Tutorem Juſtitiæ & Æquitatis, Pignus certiſſimum Securitatis, Salutis & Felicitatis diutiſſime ſervet & tueatur, utque ſi ſero tandem naturæ fuerint juſta dependenda, relinquat Sui ſimilem Succeſſorem.

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

ac feliciſſimos ſe futuros perſuaſiſſimum habent. Hinc Deum omnes ſupplices veneramur, ut Hunc Optimum Maximum Regem, Hunc Propugnatorem Religionis, Cuſtodem Pacis, Tutorem Juſtitiæ & Æquitatis, Pignus certiſſimum Securitatis, Salutis & Felicitatis diutiſſime ſervet & tueatur, utque ſi ſero tandem naturæ fuerint juſta dependenda, relinquat Sui ſimilem Succeſſorem.

DIXI.

JOANNES GEORGIVS GRAEVIVS
POLITICES HISTORIARVM ET ELOQVENTIAE
IN ACADEMIA TRAIECTINA
PROFESSOR
LECTORIBVS S.P.

SOPHIA AMALIA Sereniſſimi & Potentiſſimi Daniae & Norwegiae Regis FRIDERICI TERTII uxor, Auguſtiſſimi & Invictiſſimi CHRISTIANI QVINTI, qui cum maxime Regnorum iſtorum gubernacula tenet, Mater D. 20 Februar. anni CIↃ IↃC LXXXV *rebus humanis valere dixit, triſtiſſimum & acerbiſſimum virtutum ſuarum, quae longe ſupra ſexum & ſeculum illius eminuerunt, deſiderium relinquens. Erat enim noſtri temporis ſidus, Reginarum decus & exemplum unicum; cujus laudes ſempiterni annales celebrabunt, & grata poſteritas nunquam non mirabitur. Non poteſt enim tam inuſitatae virtutis ſplendor ulla longinquitate temporis obſcurari, cujus benigni-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

nignitate tot gentes recreatae, & adverſus omnem injuriam fortunae tot Principum beatiſſimo proventu munitae perpetua felicitate fruentur. Immortalis Reginae gloria licet ultra commendationem omnem ſit elata, veniam tamen pietati ſibi promittit, quam teſtatam publice facere voluit, oratione memoriae Divae AMALIAE SOPHIAE conſecrata, eximius & ad ſumma quaevis natus adoleſcens Fridericus Weigbers, Danus. Eam habebit in auditorio majore D. 22 Maii anni CIↃ IↃC LXXXV. *Egregiam hanc piiſſimae in Optimam Reginam voluntatis ſignificationem non dubito quin frequentia & attentione ſingulari ſint probaturi quot quot ſunt apud nos & incomparabilis Reginae admiratores, & bonarum artium patroni & cultores: idque ut faciant enixe rogo. Trajecti Batavorum D. 17 Maii* CIↃ IↃC LXXXV. *Juliani.*

AD

Præſtantiſſimum Iuvenem

FREDERICUM WEIGBERS,

Cum parentaret

SERENISSIMÆ DANORUM REGINÆ

SOPHIÆ AMALIÆ,

TRAJECTI AD RHENUM.

MUſarum comites, agitati numine Phœbi,
Et quos æterno nomine Muſa beat.
Flete novos caſus, inviſaque funera flete;
Perque ſinus lachrymæ fluminis inſtar eant.
Tollite luctiſonos imo de pectore planctus,
Flebilis & mœſto perſonet axe fragor.
Funereos habitus, largoque rigentia fletu
Pallia crudelis ſumere Parca jubet.
Mœſtis dum totam complet ſingultibus urbem
Et dolet infeſtos Danica turba rogos.
Scilicet occubuit columen, REGINA, decuſque
Grande tuum, & cunctis quæ pia Mater erat.
Icariis nimium peterem ſublimia pennis,
Carminibuſque meis eſſet id impar onus,
Si laudes, REGINA, tuas illuſtreque nomen
Judicii vellem pro gravitate loqui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

Materies hic ampla tibi eſt, REGINA verenda,
Quam nec Mæonides dicere rite queat.
Hic ſatis inveniet Weigberſius ore diſertus,
Qui nunc ingenii dat documenta ſui.
Ille memor Patriæ deflet ſermone dolente,
Quod tantam lucem DANIA perdiderit;
Quæ nunc, in terris extincta, ſupra aſtra refulget,
Atque ibi cum DIVIS cœlica regna tenet.

ISAACUS LE MAIRE, Danus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
358 D 32